38

PROGRAMMA,
QVO
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS,
BERNHARDUS
Barnstorff/
Med. D. P. P. & Poliater,
AD SPECTANDUM
IN CORONA SPINEA
JESUM,

Jlludqve S. Bernhardi: *Pudeat sub Capite spinis coronato, membra deliciari*, probè considerandum; atq; adeo, cane pejus & angve, fugienda Bacchanaliorum turpia,

Cives Academicos officij ratione seriò hortatur.



Typis JOH. WEPPLINGII, Acad. Rostoch. Typogr.

*Rodite & ſpectate Regem Salomonem cum coronâ, quâ coronavit Eum mater ejus, die ſponſaliorum ejus, die lætitiæ cordis ejus.* Hiſce verbis ex *Cant.* c.3. depromtis, Chriſtum abs Synagogâ, Novercâ ſuâ, militum improborum intercedente miniſterio, ſpinis coronandum (juxta expoſitionem non-nullorum) ſignificantibus, & ad ſpectaculum planè novum avidis oculis uſurpandum invitantibus, compellandas hoc potiſſimum tempore pias animas eſſe, exiſtimo. Redimus ſcilicet nunc in memoriam doloroſiſſimæ Chriſti Paſſionis, cujus anniverſariam publicam commemorationem, devotamque meditationem, hoc ipſum tempus abs Chriſtianorum pietate jure ſuo poſcit. Prodeamus ergo & nos, atque hâc quidem vice coronatum attentis intueamur animis Salvatorem, Cujus, diademate è ſentibus & paliuris contexto cinguntur tempora. Severis omnino proludiis, ad necem, crucis candidati parabantur, ut ſi ullibi, hic ſanè quâm maximè obtinuerit illud non-nullius dictum: *Ad mortem præparari gravius eſt quàm mori.* Non aliter, ſi non acerbius quàm pro more & crudelius, quod facile credas, odium plus quam Vatinianum hoſtium ejus perpendens, cum Chriſto actum, qui tot expoſitus injuriis, ludibriique generibus, tot ſubjectus ſævitiæ experimentis eſt, ut nihil ignominiæ & doloribus Ejus, augmenti loco adjici potuiſſe putemus. Ad diverſa igitur primùm tribunalia pertractus, flagellisque diris modis jam cæſus, ſpinis ſanctiſſimum caput innectitur. Spinis, inquam, ita enim Evangeliſta *Matth.* C.21.V.29 καὶ πλέξαντες στέφανον ἐξ ἀκανθῶν. Juncum marinum, quem Græci ὀξύχοινον vocant, coronæ huic præbuiſſe materiam, quod multi volunt, vel ea propter veroſimile haut eſt, quod (teſte *Caſaubono*) nullæ junci ſpecies, vel Theophraſto, vel Plinio, aliiſve probatîs ſcriptoribus memorentur, in quorum deſcriptione, ſpinarum in iiſdem obſervatarum vel veſtigia deprehendas. In vitilibus aliàs verbum πλέκειν quod ter in eâ hiſtoriâ Evangeliſtæ adhibent, potiſſimum habere locum, ad quæ juncus eſt accommodatiſſimus, non infi-

ciamus



ciamur, de aliis tamen id pariter adhiberi rebus; pro nexu quoque & texturâ quâ frondes complicari solent (conf. Exod. c. 28, 14. ubi LXX. hâc voce utuntur) haut ignoramus. Et è rahmno quidem, quod veprium genus, plenum maculis, ericio simile, frequens esse in Palæstinâ dicitur constitisse hanc coronã *Levini Lemnii*, *Cœlii Rhodigini*, pluriumque aliorum sententia est. Quod tamen ex sublestæ fidei fragmentis ejus, quæ in sacello sacro Parisiis, in Hispania in cœnobio de Spinâ, in Belgio Lovanii asservantur, spinis Palæstinæ memoratis haut absimilibus, more non-nullorum colligere superstitiosum duco. Quærant ex hujuscemodi, robur argumentis suis, credulitatiq; fulcra parent illi, qui imposturis, superstitiosisque figmentis calculum addere, fidemque adhibere consveverunt. Nos, spinis tricisque talibus implicari, religione Christianâ, sanâque ratione indignum censemus, neque certi quid statui hic posse putamus, cum etiam curiosius hæc talia indagasse, parum aut nihil referat. Sufficere ergo cum *B. Gerhardo* putamus, scire, coronam Christi fuisse spineam, & quidem graviter aculeis suis venerabile caput saucian tem & cruentantem: huic enim fini, juxta contumeliam exinde Ei quærendam eligebatur, contorquebatur, capitique talis aptabatur. Certatum nimirum inter dolorem & ludificationem est, ut, majorne fuerit cruciatus dumosi hujus diadematis, an ignominia & ludibrium, haut frustra ambigas. Honoris & ornatûs ergo idhibitas olim coronas esse gentibus, vel ex *Plinio* satis superque constat, qui N. H. lib. 21. C. 3. de honore coronarum apud antiquos, pluribus disserit, Deorumque honorem eas fuisse, ut & larium publicorum privatorumque asserit. De patriâ vel Republicâ fortitudine & bellandi peritiâ, benè meritorum virtuti dicatas esse, triumphales, obsidionales, civicas, murales, navales, castrenses, *Gellius* aliique docent. Quò *Claudiani* elegantissima illa in Consulatu Olybrii & Probi, spectant:

Sæpe duces meritis bello tribuêre coronas.
Hunc cingit muralis honos, hunc civica quercus
Nexuit, hunc domitis ambit rostrata carinis.

Regiorum præprimis Capitum ornamentum extitisse olim

etiam easdem, ipsa pagina sacra plus vice simplici docet. Hic autem, utut ignorantes & irridentes, coronatum Christum, Regem fateantur maleferiati, Isque talis, vel ab ipsis nescientibus demonstretur; deliberatâ tamen voluntate, inverso coronæ officio, quod honorem & gloriam aliàs spectare haut ignorabant, illusionis gratiâ, scientes agunt, quicquid agunt: ut nempe deridendum propinent, contumeliis, sannis, exsibilationibus exponant, jam satis afflictum, ne quid ignominiæ deesset. Ægerrimè quondam Philo tulit, quod Flaccus Alexandriæ Præses dissimularit, Judæorum Regem Agrippam â plebeculâ & pueris, quamvis absentem irrideri. Adornabatur in hunc ritum ludificatio illa. Carabas, homo quidam stultus per vias oberrans, in domū quandam ab illis vi pertrahebatur. Huic coronā chartaceam imponebant, proq; sceptro fragmentum arundinis ejus dextræ inserebant. Hunc ludicrum Regem loco spectabili statuebant, dominumque salutabant. Quam injuriam indignissimè Philo tulit, nimirum Cæsaris amicum, â Romano senatu honoratum, adeo procaciter derideri. Quàm verò multò & in immensum major fuit injuria, cum Regem cœli sic irriderent milites Romani, applauderentque Pontifices Hebræi? Si gravis despicatus fuit, Agrippæ simulacrum haberi deridiculo; quantus quæso erit, non Cæsaris amicum, sed DEI Filium irrisu tam fœdo ludificare, ignominiis tam cruentis appetere, & ut mancipium abjectissimum habere? Verùm hîc improbitati omnia, nemine prohibente licent. Quantum verò simul exinde dolorem perceperit dulcissimus Servator, quando coronam hancce tot aculeis horridam horrendamque, ferrearū chirothecarum ministerio milites intorquebant, nudoque capiti, cui velut clavis transadactis affixa firmiter hæreret, intrudebant, æstimari facilè potest. Numerat *Vincentius*, spinas septuaginta duas, alii plures, quibus totidem effecta vulnera. *Pindarus* art. 33. pass. alleg. *Gerbardo* in Harm. Evang. h. l. in corona illa 77. fuisse sentes tradit, quarum quælibet habuerit tres acies, quæ Christo mille vulnera fecerint. Sed incertæ ac dubiæ hæ sunt conjecturæ, eodem censu habendæ cum revelationibus de coronationis acerbitate. *S. Brigittæ* abs Virgine DEI

DEIparâ factis, quæ lib. 4. Rev. C. 7. ſic loquens introducitur: *Tunc corona ſpinea capiti ejus arctiſſimè impoſita fuit, quæ ad medium frontis deſcendebat, plurimis rivis ſanguinis ex aculeis infixis decurrentibus per faciem ejus, & crines, oculos ac barbam replentibus, ut quaſi mihi nil niſi ſanguis totum videretur; nec ipſe me adſtantem cruci videre potuit, niſi ſanguine expreſſo per ciliorum compreſſionem.* Fieri tamen potuiſſe, ut vultum talem oſtenderit Jeſus, non inficiamur, compluresque ex his ſpinis, quarum numerum ſatis magnum fuiſſe non dubitamus, loco uno cutem ſubiiſſe altero emerſiſſe & ita venis nervisque trajectis, undiquaque ſanguinis rivulos largiter effluxiſſe, credibilie utique eſt. Indeqve ſimul patet, acutiſſimos Chriſtum ſenſiſſe dolores. Nos ex unius ſpinæ puncturâ graviſſimè afficimur: quantò igitur graviùs ac acerbius tot aculeis lancinatum doluiſſe Servatorem putes? O ergo lachrymabile & perluctuoſum, O verè magnum ſpectaculum! Dux Iſraëlis Moſes, cum eminus rubum cerneret inflammatum, nec flammis tamen conſumptum, *vadam* inquit, & *videbo viſionem magnam.* Hic longè major viſio eſt, cum Deus carne veſtitus, ſputis, irriſibus, ludibriis, flagellis deturpatus, textile dumetum capite præfert, idque totum cruentum, totque vulneribus ſaucium exhibet. O eamus ergo & videamus, eoque majori alacritate, ad ſpectandum in coronâ Jeſum noſtrum eamus, qvo certiores ſcimus, coronam hanc pro peccatis noſtris eſſe ſatisfactoriam. Laudent gentiles coronas ſuas, quas diximus, triumphales, civicas, murales aliasque; nos in hâc expiatoriâ gloriabimur unicè, jureque meritiſſimo. Propter peccatum primis Parentibus noſtris dictum fuit: *Spinas & tribulos tibi germinabit terra.* Hæc ſententia Numinis decretoria in divino hocce capite ad oculum patet. Germinavit certè terra diverſas ſpinarum ſegetes, ex quibus manipulum Chriſtus capite deferendum ſuſcepit; qui tamen ſimul maledictionem omnem & ſpinas peccatorum noſtrorum ſuſtulit. Abrahamus, filium mactaturus, videt poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens offert holocauſtum pro filio. Chriſtus orbiculari vepreto implicatus, aræ crucis impoſitus eſt, in victimam, pro omni humanâ

 gente,

gente; sed nulla pro eo succedanea fuit hostia, nullus in vicem illius aries substitutus, Ipsemet Isaacus hic spinosum gestans sertum immolatus est. Audiamus *Tertullianum* lib. de coronâ militis, sub finem: *Christus Jesus*, inquit, *quale, oro te, sertum pro utroque sexu obiit? ex spinis, opinor & tribulis in figuram delictorum, quæ protulit nobis terra carnis, abstulit autem virtus crucis, omnes aculeos mortis in Dominici corporis tolerantiâ obtundens. Certè præter figuram contumelia in promptu est, & turpitudo & dedecoratio, & his implexa sævitia, quæ tunc Domini tempora & fœdarunt, & lancinaverunt.* Consona his sunt *Hieronymi* seqventia: *In coronâ spineâ maledictum solvit antiquum.* Victimas olim coronatas esse, ut & Deorum honori sacrificantes homines, testatur *Plinius* N. H. lib. 16. c. 4. Lystrenses, Paulo & Barnabæ sacrificaturi, tauros & coronas, uti vetus Interpres reddidit, offerebant, *Act.* c. 14. v. 12. Christus pro nobis immolandus, gloriæque Patris sui cœlestis litaturus, jam jamque ad crudelem aram trahendus, coronatus pariter, spinis tamen, procedit Servos etiam sub coronâ antiquitus esse venditos *Gellius* lib. 7. c. 4. testatur. De quo more *Festus* qvoqve apud *Rosin.* Antiquit. lib. 10. c. 12. *Sub coronâ*, inquit, *venire dicuntur, quia captivi coronati solent venire.* Sanè Servator meritissimus servi formam pariter assumsit, teste Apostolo, statqve sub spinoso serto, venditur captivus, ut captivos liberet: venit enim eô in mundum consiliô, ut serviret, animamqve suam redemptionis pretium daret pro multis. Exinde profecto copiosissimum in nos redundat solatium. Projiciendi eramus in ignem infernalem, ad similitudinem spinarum exscindi & comburi solitarum; Ille vero spinas nostras i. e. peccata suscepit & pertulit, flammaqve infernali inextinguibili nos eripuit. Spinis coronari voluit, ut coronam nobis acqvireret, justitiæ, vitæ & gloriæ immarcessibilem. Sub hujus etiam senticeti umbrâ tutissimi semper quiescere, irruente calamitatum malorumq; nimbo, languentemq; recreare animum possumus. Ad seqvelam tamen etiam Sui, coronatus ita Jesus nosmet invitat ac incitat. Attondetur in coronam, rasa Monachorum cohors, in memoriam infandi hujus cruciatûs & ignominiæ Christi. Magnâ veneratione asser-

vantur coluntúrqve in papatu coronæ hujus reliquiæ. Laudatur urbis Parisiensis præsul ille, qvi Regi Galliarum Ludovico, sacra hæc lipsana, Lutetiam deferenti, nudis pedibus oculisqve humentibus factus est obvius. His tamen similibusqve, debitus coronæ Christi, Ipsiqve coronato haut præstatur honor: qvippe, qvi non pietate simulatâ, externaqve devotionis specie, minimè veò spinarum suppofititiarum cultu delectatur. Humilitate mentis verâ, rectiùs eidem nos commendabimus. Qvæ laudabiliter se exserebat qvandam in Godefrido Bullionio Lotharingiæ duce, qvi anno Christi millesimo nonagesimo nono, ipso parasceves die Hierosolymam victor recepit, totiusqve exercitus consensu Rex proclamatus est, coronari tamen auro non sustinuit, ubi DEI filius spinis esset coronatus. Præivit nos humilitate suâ Salvator, deqvo eleganter Augustinus: *Superbum mundum, non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat, portans spineam coronam, & purpureum vestimentum, non clarus imperio, sed plenus opprobrio.* Suscipiamus porro crucis ærumnarumqve spinas, haud inviti & obtorto collo eò qvò necessario eundum trahendi, nec cum animi fugâ & molestiâ, qvi per multas tribulationes ad regnum Cœlorum contendendum esse haut ignoramus. Ampla & plana ad inferos via est, rosisqve sparsa, sed terret exitus, spinis horridus. Sequamur ergo, quam Caput nostrum monstrat viam, & sic ibimus tutissimi. Refert de Catharinâ Senensi *Cornel. â Lap.* in Matth. c. 27. qvod huic duas coronas, unam spineam, gemmeam alteram obtulerit Christus, datâ eligendi optione, utram mallet, hâc tamen lege, ut, si unam eligeret in hac vitâ, alteram ejus vice reciperet in futurâ. Mox illa arripiens spineam de manu Christi coronam, capiti suo infixit. Relinquimus suo loco relationem hanc, id tamen pro certo habemus, consultius esse nobis, cum ponè Christum crucem quisque suam bajulamus, afflictionibusqve variis exercemur, qvàm si mundi hujus capiamur delitiis, terrenisqve pascamur voluptatibus. Domatur eâ ratione caro cum concupiscentiis suis, ne frenum mordeat, jugumq; Christi petulanter excutiat. Qvantopere ergo dedeceat Christianum

ſt…nũ abdomini ſervire, luxuq; diffluere, valere juſsâ ſobrietate ac temperantiâ, hoc præprimis tempore, ſatis hinc pateſcere autumo. Meritòque S. Bernhardi verba illa, quæ in frontiſpicio Programmatis comparent, hic repetenda duco: *Pudeat ſub Capite ſpinis coronato, membra eſſe delicata.* Solent nimirum ſeqventes hebdomadis hujus dies, Sathanæ inſtinctu, commeſſationibus, helluationibus, boatibus nocturnis, aliisque infandis modis, turpiter teri. Annon hoc Chriſtiano nomine indigniſſimum ?judicet, cui mens adhuc ſana in corpore ſano eſt. Potando meruiſſe coronam auream abs Dionyſio, Xenocratem Philoſophum, *Athenæus* memorat, qvo ipſo turpem nomini ſuo aſperſit ille maculam. Multos hunc habiturum fore imitatores crediderim, ſi commeſſando acquiri aurea dona poſſent, cum tot reperiantur hodie, qvi cum facultatum ſuarum, ſanitatisque tàm corporis quam animi diſpendio, cyathos benè repletos evacuare egregiè valent, Liberoqve Patri plus qvàm libris tribuunt. Peſſimè ſanè audiunt merito ſuo S. Spiritui, lurcones tales, Qvi illis Væ temporale ſimul ac æternũ acclamat Eſ. c. 5. *Væ fortibus ad potandum vinum, & ſtrenuis ad miſcendum potum inebriantem.* Quæ verba optimè expreſſit B. Lutherus h. modo: wehe denen / ſo Helden ſind Wein zu ſauffen. Vobis ergo cives dilectiſſimi, aliter ſit ſubducta vivendi hoc potiſſimum tempore ratio. Iterum dico, *Pudeat ſub Capite ſpinis coronato, membra deliciari.*

P. P. Sub Sigillo Rector.
Ipsâ Domin. Quinquageſimæ,
A. MDCXCII.

